



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

133. An Taxandria ante predicationem SS. Lamberti, & Vvillibrordi fuerit  
ethnica?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

creduntur Pemani ) alij Maeslandij, alij Campiniæ Leodienſis.

## DISSERTATIO CXXXIII.

An Taxandria ante predicationem SS.

Lamberti, & Willibrordi fuerit  
ethnica ?

**S**unt qui imaginantur eam totam ethnicismo manſiſſe inuolutam, & Chriſtiana luce caruiſſe ante eorum accessum. Inter eos videtur ſenſiſſe Diuæus lib. 1. rerum Brabanticarum cap. 9. inquiens: *Feritatis Taxandrorum magnum eſt argumentum, quod ex inferioribus Germanis ultimi Chriſti fidem ſuſceperint, predicante nempe D. Lamberto Tungrorum Episcopo; ut mirum ſit Pipinos Duces, Principes inuictiſſimos, ac religioſiſſimos, non ante hunc populum à gentilitate reducere potuiſſe.* Verum fallitur magnopere, ut & reliqui, præſertim ſi de tota Taxandria accipiatur. Patet 1. ex teſtamento S. Willibrordi iam producto ubi ipſi ante conditum Epternacum vel paulò poſt donantur in Taxandria Eccleſiæ, nominantur Clerici, Religioſa fœmina. Nec loquitur de recenter natis, ſed de præexiſtentibus & vetuſtioribus, nec de eius prædicatione vlla fit mentio.

Secundò, circa annum 600. quo nec S. Lambertus, neque S. Willibrordus erant orti, egit in **Sammelo** Taxandriæ loco S. Dimpna ex Hibernia profuga cum ſacerdote Gereberno. Verosimile eſt ibi fuiſſe ſacellum ubi Diuina Chriſtiana celebrabant. Saltem certum eſt tum exſtitiſſe in vicina Gela, municipio modo celebri, templum S. Martini,



512 DE PRIMIS VETERIS FRISIAE APOSTOLIS  
Martini, in quod Reliquiae S. Dimpnae inferebantur, co-  
lebantur, sacrificia offerebantur. Ante praedicationem  
SS. Willibrordi & Lamberti florebat magna sanctitate &  
potentia cum tota stirpe S. Waldetrudis vxor S. Vincen-  
tij Hannoniae Comitis Domina Oppidi Herentalensis;  
quam in subditis fidem Christi neglexisse non est creden-  
dum; non deerat facultas, non voluntas. Sub Ansegiso  
Marito S. Beggae Principe Aufrasiae, in qua Taxandria,  
aut circiter, eluxit magna sanctitate S. Oda Rodae in  
Taxandria. Nec dubito quin S. Amandus Antuerpiae  
praedicans, Ecclesias construens, vicinis Taxandris pre-  
dicationem suam etiam impenderit. Item S. Eligium Ant-  
uerpiae pariter Apostolum dum in Frisiam pergeret per  
Taxandros diuini verbi semina sparsisse.

Tertio, ante ortos S. Lambertum & Willibrordum  
Taxandria parebat Regibus Franciae Catholicis & pijs-  
simis Principibus, Pipino Landensi, Grimoaldo, Ansegiso,  
Beggae &c. sub Zelosissimis praefulis Tungrorum qui sane  
non tolerassent Taxandros suos in Idololatria haerere; nec  
leguntur, scribuntur aut traduntur Taxandri contra eos  
vnuquam rebellasse, quin potius tam circa fidem, quam  
circa politiam se modestissime sub illis continuisse. Qua-  
te omnino rejiciendum quod supra ait Diæus, potius  
de Frisijs hoc potuisset & debuisset pronuntiasse, qui non  
semel conculcata fide recalcitrarunt, omnium Belgarum  
postremi & vix nisi armis subacti Christum receperunt.

Concedo tamen SS. Lambertum & Willibrordum sa-  
lubri praedicatione e multorum mentibus reliquias Ido-  
latriae & daemoniacarum superstitionum exemisse; ali-  
quot Taxandriae locis Mosae & Citeriori Frisiae adiacen-  
tibus (quibus facile a contiguis Frisijs multum mali po-  
tuit adfricari) Idolis destructis vexillum Christi intulisse.

D I S S E R T -